

vici, quam *Caroli* ejus fratris erat labefacta. Extant hi Canones XXXI. Tomo VIII. Conciliorum, & apud *Natalem Alexandrum* art. xvii. cap. iv. partis i. Hist. sæculorum ix. & x. Aliud Concilium Moguntinum anno sequenti, seu dcccxlvi. celebravit Rabanus contra Gothescalcum, de quo Concilio, sicut & de aliis Synodis *Caristacensi prima*, anno dcccxlvi. *Caristacensi secunda*, anno dccccli. *Valentina tertia*, anno dcccclv. *Lingonensi*, & *Tullensi*, anno dcccclix. quæ, fervente nono Ecclesiæ sæculo in Galliis causa Gothescalchiana, celebrata sunt, sat superque egimus superius. Consulto etiam hic prætermitto Concilia, quæ nono Ecclesiæ sæculo in causa *Ebbonis* habita sunt, videlicet *Bellovacense*, an. dcccclv. *Suessionense* secundum an. dccccli. & *Suessionense* tertium an. dcccclvi. Prætermitto similiter Concilia, quæ convocata sunt in causa *Rothadi* *Suessionensis* Episcopi, & in causa *Hincmari* *Laudunensis* Episcopi, ac denique in causa divortii *Lobarii* Regis, & *Theutbergæ* ejus conjugis, quia ejusmodi Concilia, & res in his gestas jam compendiose attigimus, nec in his diutius immorari finit nobis in tractandis rebus Ecclesiasticis præscripta brevitatis.

D. Percensuistine omnia Concilia Provincialia, quæ nono sæculo fuerunt convocata?

M. Quædam alia Concilia Provincialia ix. Ecclesiæ sæculo fuerunt convocata, a quibus breviter nos expedire necesse est. Anno itaque dccccl. habita est Synodus *Ticinensis*, in qua ad reformandos Ecclesiæ mores conditi sunt XXV. Canones, quorum Synopsim, & expositionem exhibet *Natalis Alexander* art. xviii. cap. iv. Historiæ sæculorum ix. & x. Ad Concilium *Tullense* secundum in Villa *Tusiano* quatuordecim Provinciarum Episcopi an. dcccclx. convenerunt, ac pro Ecclesiasticæ Disciplinæ restauratione quinque condiderunt Canones, qui extant una cum *Epistola Synodali* adversus rerum Ecclesiasticarum invasores, & *Hincmari* *Epistola* de nuptiis *Stephani*, & filiarum Regimundi comitis Synodi jussu scripta Tomo VIII. Conciliorum. *Wormatiensis* nobilem Germaniæ Civitatem Nationalis convenit Synodus suasionem *Ludovici* Germaniæ Regis anno dcccclxviii. in qua conditi sunt Canones XLV. ex quibus singulari observatione dignus est Canon decimus quintus, quo statuitur, ut ad inquirendum furti auctorem in Monasteriis, Missa ab Abbate, vel alio Presbytero ejus jussu celebraretur, & singuli Monachi pro purgatione sua corpus, & Sanguinem Christi percipiant, ut hoc pacto se innocentes ostendant. Sed hæc disciplina, quæ ix. Ecclesiæ sæculo obtinebat, propter sacrilegii periculum postea jure merito fuit abrogata. Præter hos quadraginta quinque Canones Concilii *Wormatiensis*, circumferuntur alii triginta quinque, qui tamen in vetusto MS. Codice defunt, nec ad istam Synodum *Wormatiensem* pertinent, cum interdum in iis repetantur, quæ superioribus Canonibus sancita legantur.

Hinc est, quod Viri eruditi triginta illos quinque Canones ex aliarum Synodorum Decretis constatas esse opinentur. Extant Canones conditi in ista Synodo *Wormatiensi* Tomo VIII. Conciliorum, eosque recenset, & explicat *Natalis Alexander* art. xxiii. cap. iv. partis primæ Hist. sæculorum ix. & x.

Anno dcccclxxvi. *Carolus Calvus* post mortem *Ludovici* patris sui Imperator a *Joanne VIII.* Summo Pontifice coronatus, Synodum secundam *Ticinensem* congregari curavit, ut sibi ab Episcopis, Abbatibus, & Optimatibus Regni Italici Imperium confirmaretur. Quapropter, hac in Synodo *Carolus Calvus* ab omnibus acclamatus atque susceptus fuit Imperator, conditaque sunt Capitula quindecim, quorum primo decernitur, ut *Sancta Romana Ecclesia*, sicut est Caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur, & veneretur. Reliqua illius Synodi Capitula extant Tomo ix. Conciliorum, & in Capitularibus *Caroli Calvi*. Eodem anno *Carolus Calvus*, qui in Synodo secunda *Ticinensi* a Proceribus, & Episcopis Regni Italici acclamatus fuerat Imperator, pariter a Galliis in Synodo *Pontigonensi* susceptus est Imperator. In hac Synodo *Pontigonensi* *Ticinensis* Capitula fuerunt confirmata, *Formosi* *Portuensis* Episcopi, & aliorum excommunicatio, facta in Synodo Romana, a Patribus Gallicanis approbata. Primatus *Ansegisi* Archiepiscopi *Senonensis*, qui post mortem *Ludovici* Imperat. a *Carolo Calvo* Romanam missus fuerat, ipsique Imperium a *Joanne VIII.* Papa, & Italiæ Primoribus ut deferretur effecerat, unanimiter agnitus est. Sed de hoc Primatu, quem per Gallias, & Germaniam *Joannes VIII.* Pontifex Maximus contulit *Ansegiso* *Senonensi* Archiepiscopo, legendi sunt *Natalis Alexander* art. i. parag. 3. capit. v. partis primæ sæculorum ix. & x. & *Gerardus Dubois* in Historia Ecclesiæ *Parisiensis* capit. i. Acta integra istius Synodi *Pontigonensis* recitat *Baronius* ex continuatore *Aimonii*, qui ea exscripsit ex Annalista *Bertiniano*. Extant tamen & alia ejusdem Synodi Acta, illa fortasse quæ cum Legatis Apostolicis dictasse, & in Synodo legisse dicitur *Odo* Episcopus *Bellovacensis*, quorum partem *Baronius* ad annum Christi dcccclxxv. refert ex *Odoranno* in Chronico. Sed in his posterioribus Actis *Ansegisi* Primatus unanimiter agnitus ac susceptus dicitur, cum tamen in prioribus nihil apud Episcopos *Ansegisus* promovisse dicatur.

Anno dcccclxxvii. *Joannes VIII.* Pontifex Maximus Concilium *Ravennatense* celebravit, cujus Decreta publicavit *Holstenius* in Collectione Romana. Superfunt illius Concilii tantum Capitula xix. ad disciplinam & immunitatem Ecclesiasticam restituendam spectantia, & præterea *Epistola*, qua possessio *Flaviniaci* Monasterii *Adalgario* *Æduensi* Episcopo confirmatur, ut constat ex Diplomate, quod ex Ecclesiæ *Æduensis* Tabulario desumptum edidit *Chiffletius*, Societatis Jesu in probationibus Historiæ *Tornutiensis* Monasterii. Canones conditi in hoc Con-

Concilio *Ravennensi* fuerint confirmati in Synodo secunda *Trecensi*, quam *Joannes VIII.* Summus Pontifex in Galliis existens an. dcccclxxviii. convocavit (a). In hac Synodo *Trecensi* actum est de causa *Hincmari* *Laudunensis* Episcopi, sicut superius a nobis jam observatum est.

(a) Concilii hujus *Trecensis* acta ex Ambrosianis schedis auctiora & ampliora edidit *Muratorius* *Rer. Ital. to. ii. p. 2.* ex quibus apparet canones in ea editos ad viginti ascendisse; huic vero non *Joannes* quidem Pontifex, uti plerisque creditum, sed *Anspertus* *Mediolanensis* Archiepiscopus præfuisse dicimus. Subscripti vero huic leguntur plures Itali Episcopi, & subjiciuntur subscriptiones Patrum Concilii *Pontigonensis*. In quo concilio canones *Ravennatenses* confirmati sunt.

Anno dcccclxxxi. congregata est Synodus apud Sanctam *Macram* in Diocesi *Remensis* finibus, in qua non pauca ad Disciplinam Ecclesiasticam restaurandam sancita sunt, extantque Canones octo in ea conditi Tom. ix. Conciliorum. An. dcccclxxviii. *Luitbertus* Archiepiscopus *Moguntinus* Synodum *Moguntinæ* celebravit, in qua ad Disciplinam Ecclesiasticam propter incuriones *Normannorum* reformandam viginti sex conditi sunt Canones, qui extant Tomo ix. Conciliorum. Eodem circiter anno Synodus *Metensis* celebrata est in Ecclesia *Sancti Arnulphi*, cui *Rathodus* *Trevirensis* Archiepiscopus, & tres Episcopi, unus Abbas, & multi Sacerdotes adfuerunt. Tredecim in ea Synodo conditi sunt Canones, qui extant Tom. ix. Conc. An. dcccclxxxi. apud *Viennam* Galliæ Metropolim, præsentibus, & præfidentibus *Formosi* Papæ legatis Concilium ab Episcopis Regni *Arelatensis* in Basilica *Salvatoris* celebratum est, in quo conditi sunt quatuor Canones, qui extant Tom. ix. Conciliorum. An. dcccxcv. apud *Tiburiam* Villam Regiam ad *Rhenum* non longe a *Moguntia*, Synodus, quæ dicitur *Tiburienfis*, congregata est ad corrigenda Clericorum vitia, & ad Ecclesiasticæ Disciplinæ restaurationem. Ad eam Episcopi viginti duo convenerunt, qui Canones quinquaginta, & octo ediderunt, quos refert, & explicat *Natalis Alexander* art. xxx. cap. iv. partis i. sæculorum ix. & x. Denique, ex tribus Conciliis, quæ *Flodoardus* in Fragmento de Pontificibus Romanis a *Joanne IX.* Pontifice Maximo congregata fuisse affirmat, duo tantum supersunt, nempe *Romanum*, & *Ravennense*, quæ an. dcccxcviii. fuere celebrata. In Concilio Romano Acta Pseudo-Synodi Romanæ a *Stephano VII.* habitæ *Joannes ix.* infirmavit, *Sergium*, & socios damnatos restituit, violatores Sepulchri, cadaverisque *Formosi* Papæ damnavit, Episcopos a *Stephano VII.* exauguratos ad gradus pristinos reduxit, & *Lamberti* Imperatoris unctionem confirmavit. In Concilio *Ravennensi*, quod paulo post Concilium Romanum ab eodem *Joanne IX.* coactum est, & cui *Lambertus* Imperator, & lxxiv. interfuerunt Episcopi, Statuta in Capitularibus Regum Francorum de persolvendis decimis Episcopis confirmata sunt. Sed

Græf. Hist. Tom. III.

de utroque Concilio, *Romano* videlicet, & *Ravennensi* legendus est *Clarissimus Pagius* in sua Critica *Baronii* ad annum dcccxcviii. ubi etiam perdocte observat, *Sigonium* lib. 6. de Regno Italiæ, & nonnullos alios Scriptores fuisse hallucinatos, dum Concilium *Ravennense* inscite confuderunt cum Concilio Romano, & ex duobus unum perperam fecerunt (b). Sed de Conciliis, quæ tam ad dirimendas fidei Controversias, quam ad faciendam Ecclesiæ disciplinam variis in locis nono Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, plura non dicam, ne prætergrediar horam, qua Colloquia nostra arenaria Clepsydra vulgo metiri soleamus.

(b) Quamquam & alia ego Concilia, hoc labente sæculo celebrata, in meo Conciliorum Supplemento recensui, in collectiones nondum investæ, eaque hic attingere supersedeo, memoratu tamen dignum judico Concilium *Catalaunense* sub *Mantone* Episcopo, quem sedere cœpisse judico circa annum 892. Ille vero habita *Catalaunis* Synodo judicavit in causa *Angelici* presbyteri, qui palam uxorem duxit. In ea causa Patres judicarunt tantisper suspendi sententiam, quoad usque *Remensis* Archiepiscopus *Fulco* confuleretur. Extant *Mantoni* ad eundem *Falconem* literæ apud *Millonium* *Analect. p. 429.* edit. in fol. Hoc primum exemplum conjugii a Sacerdotibus celebrati occurrit.

COLLOQUIUM V.

De Viris Illustribus, qui nono Ecclesiæ sæculo doctrinæ, & pietatis laude claruerunt.

D. UT scriptorum Ecclesiasticorum, qui in variis Orbis partibus nonum Ecclesiæ sæculum doctrina, & pietate illustrarunt, notitiam facilius assequi, eorumque genuina Opera accuratius a spuris discernere possim, optarem ut in isto Colloquio illos distribueres in sex omnino classes; ita ut in prima essent omnes Scriptores Galli; in secunda Scriptores Itali; in tertia Scriptores Germani; in quarta Scriptores Hispani; in quinta Scriptores Hispani; in quinta Scriptores e Regno Angliæ oriundi, & in postrema infererentur Viri illustres, qui in Ecclesia Orientali floruerunt.

M. Quod Gallos Scriptores in prima classe illustrium Virorum, qui nono Ecclesiæ sæculo doctrina & pietate præfulserunt, reposueris; juste ac sapienter fecisti. Abundavit quippe nono sæculo præ cæteris aliis nationibus Gallia Viris eruditione & sanctissima clarissimis, qui ad dilucidandas Controversias eo sæculo enatas de Sanctissimo Altaris Sacramento seu Corporis & Sanguinis Domini; de Prædestinatione & voluntate Dei salvandi homines, necnon de Cultu, qui Sanctorum Imaginibus deferri debet, præclara ediderunt Opera. Extiterunt etiam eodem sæculo in Galliis doctissimi Abbates & Monachi, qui ad fidei Catholice defensionem, & Monasticæ Disciplinæ observationem indefesso studio suam omnem curam, industriam, & eruditionem contulerunt.

I 3

D. In-

D. Incipiamus, quæso, ab illis Gallis Scripto-ribus, qui in Controversia, quæ de Eucharistia nono sæculo exorta est, libros de Sanctissimo Altaris Sacramento, seu Corporis, & Sanguinis Domini elucubrarunt.

M. Paschasius Radbertus Ord. Sancti Benedi-cti Abbas Monasterii Corbejenfis librum edidit de Sanctissimo Altaris Sacramento, seu Corporis & Sanguinis Domini anno octingentesimo trigesi-mo primo, ut perdocte evincit Mabillonius sæcu-lo iv. Benedicino parte secunda in Præfatione capite primo. Hunc librum eo fine a se editum testatur Paschasius in Epistola, quam scripsit ad Carolum Calvum Francorum Regem, ut exponeret de Eucharistia Sacramento Catholicam do-ctrinam in gratiam Saxonum Puerorum recens ad Christianam Fidem converforum. Qua de causa tria potissimum hoc in Opere docet Pas-chasius, quæ statim ab initio libri exponit, ni-mirum verum Corpus & Sanguinem Christi exis-tere in Eucharistia: Panis & vini substantiam non superesse facta consecratione: ipsumque Christi Corpus in Eucharistia existens non aliud esse quam quod de Maria Virgine natum est. Tanta perspicuitate primus inter veteres ejus-modi argumentum pertractat Paschasius, ut eum veluti Apostolicæ traditionis eximium hac in causa interpretem agnoscat Catholica Ecclesia. At Hæretici nostri temporis, qui præsentiam rea-lem Corporis, & Sanguinis Christi in augustis-simo Eucharistia Sacramento inficiantur, Pa-schasium Radbertum ceu novatorem laceſsunt, asseruntque illum ab antiqua Ecclesiæ fide desce-ſiſſe, ut novam realis præſentia & Transubstan-tiationis doctrinam inveheret in Ecclesiam. Ve-rum, hoc puridum Hæreticorum commentum ab omni veri specie prorsus abhorret. Paschasius si-quidem præsentiam realem Corporis, & Sangui-nis Christi in Eucharistia, necnon Transubstan-tiationis dogma in libro a se edito ita asserit, ut, si quis non credat, impio deteriorẽ esse pro-nunciet capite duodecimo, & in Epistola, quam scripsit ad Fredegardum, appeller Sanctiorum fi-dem, fecus vero sentientes contra ipsum Domi-num, & contra omnem Ecclesiam agere dicat. Quin, & ipsemet in Commentario in Matthæ-um testatur: neminem esse, qui in aperto hoc ita esse contradicat, quod totus Orbis credit, & confitetur. Porro, quis, nisi emotæ mentis homo, suum inducat in animum, eo impuden-tiæ prorupisse Paschasium, ut fingeret, non unum terræ angulum, non singulares Ecclesiæ populos, sed totum Orbem Christianum, nemine in aper-to contradicente, sentire, & confiteri, quod ipse sentiebat, scribebatque? Quis, inquam, credat, Paschasium, si revera novator fuisset, ut ob-strepunt Hæretici, potuisse obtinere ab Episco-pis Gallicanis in Synodo Parisiensi congregatis privilegium pro suo Monasterio Corbejensi cum eximio elogio ejusdem Cœnobii Monachorum, qui omni procul dubio Paschasii Abbatis, ac Magistri sui doctrina erant imbuti? Deni-que Paschasium novatorem non fuisse ex eo ma-xime liquet; quod ei nullus noni sæculi Scri-

ptor erroris dicam scripserit, sed potius omnes Episcopi, Abbates, & Monachi sanctitate & doctrina conspicui illum ceu avitæ fidei, vitæ-quæ integerrimæ virum complexi, & maxima a-micitia profecti sint, qui profecto, ut erant antiquæ fidei retinendæ tenaces, novatorem non tulissent, sed, ut par erat, eum admonuissent, arguissent, coercuissent, confutassent. Sed de do-ctrina noni Ecclesiæ sæculi circa Sacro-Sanctam Eucharistiam plura in sequenti Colloquio dice-mus. Hæc autem in præsentia sufficere possunt ad refellendum istud tam insulsum Hæreticorum commentum. Quæ enim opponit Claudius Ca-rentonensis Pseudo-Minister levissima argumen-ta, ut suspectam reddat Paschasii fidem, pro-betque eum cum sui temporis Ecclesia non con-cordare, nullo negotio exussat doctissimus Ma-billonius parte ii. sæculi iv. Benedicini in Præ-fatione. Præter hunc librum de Sanctissimo Sa-cramento Corporis, & Sanguinis Domini, alia Opera edidit Paschasius Radbertus, quæ Sirmon-dus publicavit una cum ejus Vita, in qua ait, Paschasium Sanctitate illustrem ex hac vita ad Deum migrasse anno dcccxi. Mabillonius tamen parte ii. sæculi iv. Benedicini in Elogio, quod texuit, Paschasii Radberti, probat Paschasium ad annum circiter dcccxlv. supersitem fuisse, i-bidemque disserit de ejus scriptis, virtutibus, & meritis. In Præfatione etiam ad partem secun-dam sæculi iv. Benedicini manifesto ostendit, perspicua Paschasii de reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, & de Tran-substantiatione doctrina oppressos Lutheranos, & Calvinistas ad varias artes confugisse, ut ve-ritati tenebras offunderent, & se ab ejus autho-ritate expedirent. Solide etiam ibidem Mabil-lonius demonstrat, Paschasium Radbertum con-tra antiquitus receptam de Eucharistia fidem nihil in medium protulisse, sed potius universalis Ec-clesiæ doctrinam sedato, simplicique modo expo-suisse. De Paschasii Radberti doctrina circa Eu-charistiam legi etiam potest Natalis Alexander Dissertatione v. in Historiam sæculorum ix. & x. ubi quæcumque Hæreticorum in Paschasium ar-gumenta diluit, & invictis momentis fidem Ca-tholicam astringit. In Editione Operum Paschasii, quam adornavit Sirmondus, deest Vita Sancti Wale Abbatis Corbejenfis a Paschasio Radberto edita, quam Mabillonius parte i. sæculi iv. Be-nedicini publicavit. Desunt quoque duo Tomi De partu Virginis ab eodem Paschasio conscripti, quos Lucas Dacherius Benedicinus parte i. Tomi xii. Spicilegii inseruit.

D. Observasti, ut bene memini, in Colloquio tertio in Historiam hujusce sæculi noni, occasio-ne istius libri de Sanctissimo Altaris Sacramen-to, seu Corporis & Sanguinis Domini, a Pascha-sio Radberto editi, quosdam noni sæculi Scri-ptores Ecclesiasticos, videlicet Rabanum Mau-rum, Amalarium, & Ratramnum quamdam de Eucharistia Sacramento excitasse controversiam, quæ tamen, ut ibidem exposuisti, non versaba-tur, sicut ineptissime asserunt Hæretici, circa fidei dogma de reali præsentia Corporis, & Sanguinis Chri-

Christi in Eucharistia, & de Transubstantiatione (in hoc enim asserendo fidei dogmate, quod semper, ubique, & ab omnibus in Ecclesia cre-ditum est, tam Paschasius, quam Rabanus, Ama-larius, & Ratramnus consentiebant, sicut ex di-ſſertis illorum Scriptorum testimoniis, quæ ibidem laudasti, certissime liquet) sed solum prædicta Controversia versabatur circa modum, quo Cor-pus Christi Domini existit in Augustissimo Eucha-ristia Sacramento. Quapropter, cum istius Con-troversiæ circa Eucharistiam nono Ecclesiæ sæculo obortæ statum jam a te expositam probe nove-rim, necessum non est, ut in eo explicando diu-tius hic immoremur, sed sufficet paucis in præ-sentia perstringere vitam, & Opera Rabani, A-malarii, & Ratramni, quos in hac enata de Eu-charistia disceptatione Paschasius Radbertus adver-sarios nactus est. (a)

„(a) Præter hæc scripta Paschasii, & alia hic indicata, in anecdotis P. Pez tom. i. pa. 1. evulgatum est ejusdem authoris opus de fi-de, spe, & charitate, quod ex munere Cl. Ec-cardi idem anecdotorum scriptor evulgavit. I-dem opus extat pariter, sed correctius, in col-lectione monumentorum PP. Martene & Du-rand. Denique ego in meis additionibus ad Fa-bricii Bibliothecam latinam med. & infim. lat. animadverti libellum de Corpore & Sanguine Christi instrui præfatione carmine acrosticho scripta, eandem vero præfationem servari pa-riter animadverti in libello de Corpore & San-guine Christi a Gezone Abbate Derthonensi edito, eandemque ibi instrui nomine Paschasii Radberti ad Placidum. Sed versus, qui in Li-bello a Martene edito sunt xv. in Gezone sunt lxxxii.

M. Rabanus Maurus Moguntia natus Ordini Sancti Benedicti, dum adhuc juvenis esset, no-men dedit, postea Abbatia Fuldensi præpositus, & ex Abbate Fuldensi Archiepiscopus Mogun-tinus consecratus emicuit, teste Baronio ad an-num Christi octingentesimum quinquagesimum sextum, ut fulgentissimum sydus, cujus quæ ex-tant scripta, tamquam lucis radii excellentiam demonstrant Auctoris, ut ex iisdem illustrata Germania gloriatur suum haud adeo imparem magnis habuisse Doctorem. De eodem Rabano Trithemius tradit, ipsum, præter Opuscula tam carmine, quam soluta oratione conscripta, Scri-pturam Sacram a principio usque ad finem feli-citer explanasse, virumque fuisse plane omni litterarum genere apprime excultum, ac trium linguarum Hebraicæ, Græcæ, atque Latinæ pe-ritum. Mortuus est Rabanus Maurus Archiepi-scopus Moguntinus anno dcccxvi. ut tradit An-nalista Fuldensis a Baronio citatus. De ejus Ope-ribus tam editis, quam ineditis, & de legiti-mis, & spuris, quæ ei attribuuntur, doctissimus Mabillonius in illius Elogio, quod texit parte ii. sæculi iv. Benedicini, accurate disserit, quemadmodum & de ipsius zelo pro fide, & integritate morum, de ejus præceptoribus, & de fama, quam sibi comparavit in Acade-

mia Fuldensi, ubi summa cum laude docuit, multosque discipulos habuit, & in his Malafri-dum Strabum, Servatum Lupum, Oisfridum Monachum Wisseburgensem, & Rudolfum, qui ejus Vitam descripsit. De præsentia reali Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, necnon de transubstantiatione recte, & catholice sensisse Rabanum, eumque a fœda Stercoranista-rum hæresi, quam ei perperam nonnulli affin-gunt, penitus fuisse alienum, breviter, juxta nobis in pertractandis de fide controversiis præ-scriptos limites, ostendimus in Colloquio ter-tio in Historiam hujusce sæculi. Sed si plura su-per hac re scire aveas, consule Mabillonium loco mox laudato, & nostrum Natalem Alexandrum parag. ii. Dissertationis xi. in Historiam sæculo-rum ix. & x. ubi doctrinam Rabani Mauri Ar-chiepiscopi Moguntini circa Eucharistia Sacra-mentum egregie vindicat ab hæreticorum calu-mniis. (a)

„(a) Inter inedita Rabani opera nemo huc- usque meminit epistolæ ejus ad Humbertum Episcopum, quam ego in Codice Palatino Va-ticano 576. nactus, mihi descriptam evulgabo in nova Conciliorum editione. Quæritus ab Humberto Rabanus quoto cognationis gradu licita sint connubia, post quæstionis hujus commodam discussionem respondet, sibi ea placere, quæ Theodorus Archiepiscopus Doro-bernenſis in suo Pœnitentia statuit, adeoque in quinto non suadendum quidem, sed toleran-dum esse conjugium.

Amalarium (quem in doctrina de præsentia rea-li Corporis, & Sanguinis Domini, & de Tran-substantiatione una cum Paschasio Radberto con-sensisse, & ab eo dumtaxat quantum ad certum quandam loquendi modum discrepasse jam osten-dimus in Colloquio tertio in Historiam istius sæculi) fuit Ecclesiæ Metensis Diaconus, sed non Episcopus illius Ecclesiæ, ut male quibus-dam visum est. Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum pagin. 2. Amala-rium Lugdunensem Chorepiscopum fuisse probat ex Epistola inedita Flori Lugdunensis Ecclesiæ Diaconi adversus Amalarium scripta, in qua il-lum his verbis durius carpit: Contra falsiloquas, inquit Florus, adinventiones Amalarii quondam Lugdunensis Chorepiscopi de Corpore Domini tri-partito. Scripsit iste Amalarium Metensis Dia-conus libros quatuor De Divinis sive Ecclesiasticis Officiis, & librum de Ordine Antiphonarum. Ba-luzius in appendice ad Tomum secundum Capitu-larium pag. 1352. & seqq. eruit ex vetustissi-mo Codice MS. Monasterii S. Galli in Helvetia Opusculum Amalarii Abbatis, cui Titulus: E-clogæ de Ordine Romano, & de quatuor Orationi-bus Episcoporum, sive populi in Missa, quod qua-tuor librorum ejusdem Amalarii Metensis De Di-vinis Officiis supplementum quoddam cense-ri potest. Scripsit etiam idem Amalarium aliquot E-pistolas ad Episcopos a Luca Dacherio vulgatas Tomo vii. Spicilegii, & Regulam, seu Institu-tionem Canonicorum, quæ in Concilio Aquisgra-nensi

nenſi anno dcccvii. habito leſta, approbata, & Synodica auctoritate confirmata eſt, Liber de *Præſcientia, & Prædeſtinatione*, quem Amalarius Metenſis ſuaſu Hincmari Archiepiſcopi Remenſis compoſuit adverſus Gotheſcalcum Monachum Corbejenſem, non amplius extat. Conſtat tamen, hunc Amalarii librum non fuiſſe probatum Eccleſiæ Lugdunenſi, quippe quæ illum in libro *De tribus* Epistoſis acriter Cenſura perſtringit. Agobardus etiam Lugdunenſis Archiepiſcopus quatuor libros *De Divinis Officiis* ab Amalario Metenſi editos ſingulari Opere impugnavit, in iſque multas propoſitiones, inutiles, abſurdas, & noxias reprehendit. De quibus Amalarii propoſitionibus, ſicut & de ejus doctrina circa Euchariftiam legendus eſt Natalis Alexander ſæculo ix. artic. ii. Diſſertationis xii. Hic tantum velim obiter obſerves, multos Scriptores poſt Trithemium confundere hunc Amalarium Metenſem cum altero Amalario Fortunato Trevirenſi Archiepiſcopo. Sed ejuſmodi Scriptores hallucinari, ac revera duos diſtinguendos eſſe Amalarios, quorum unus fuit Archiepiſcopus Trevirenſis, alter vero Eccleſiæ Metenſis Diaconus, evidenter oſtendit Sirmondus in Epistoſa quadam a Labbeo in Diſſertatione de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* in addendis & corrigendis recitata. Amalarius Metenſis auctor eſt librorum, quos mox percenſui. (a) De Amalario Trevirenſi Archiepiſcopo multa Com- mentitia circumferuntur, ſed de illo hæc quatuor certo affirmari poſſunt. Primo, quod auctor ſit libelli *Alcuino* Caroli Magni præceptoris ſuppoſiti De *Cæremoniis Baptiſmi*, ut ex Codice Petaviano ſolide probat idem Sirmondus in Notis ad Theodulphum Aurelianenſem Episcopum. Secundo, quod Tranſalbanam Saxoniam erudierit, & ad fidem Chriſtianam converterit. Tercio, quod Legatus in Orientem a Carolo Auguſto pro pace confirmanda directus fuerit. Denique, quod mortuus ſit anno dcccxiv. ſicut teſtantur Annales Francorum. Ex quo patet ſequitur, falſo quosdam aſſerere, Amalarium Fortunatum Trevirenſem Archiepiſcopum eſſe auctorem quatuor librorum *De Divinis ſeu Eccleſiaſticis Officiis*, necnon libri *De Ordine Antiphonarum*, cum ipſe mortuus ſit anno dcccxiv. & iſti libri juxta accuratum Virorum eruditorum judicium ſcripti non fuerint ante annum 827.

„(a) De Amalario certius aliquid didi-
„cimus ex quo luci publicæ data eſt a PP.
„Martene, & Durand in *Collect. Veter.*
„Monum. Tomo ix. Epistoſa illa Flori ad-
„verſus Amalarium, quæ a P. Graveſon hic
„dicitur inedita. Ex ea ergo diſcimus Amala-
„rium Chorepiſcopum tunc Eccleſiæ Lugdu-
„nenſis, exhibuiſſe Synodo ejusdem Eccleſiæ
„ingens volumen, quod inſcripſit: *Officiale*,
„ſeu *De Divinis Officiis*; tum dediſſe aliud,
„quod inſcripſit *Antiphonarum*; demum &
„tertium opus cui titulum indidit *Embolim*
„*Opusculorum ſuorum*. Poſtremus iſte liber

„forte idem fuerit ac *Eclogæ de Ordine Romano*
„a Baluzio, ut hic a Graveſonio notatum,
„vulgatus.

Inter adverſarios Paſchaſii Radberti in Con-
troverſia de *Corpore & Sanguine Domini*, Ratram-
num, ſeu, ut alii dicunt, Bertramum Cœno-
bii Corbejenſis Ordinis S. Benedicti Monachum
connumerant Hæretici, pertenduntque, illum in
libro, quem ipſi attribuunt de *Corpore & San-
guine Domini*, aperte negaſſe præſentiam realem
Corporis, & Sanguinis Chriſti in Auguſtiſſi-
mo Euchariftiæ Sacramento, necnon Tranſub-
ſtantiationis dogma. Verum, an ille liber
de *Corpore & Sanguine Domini* juiſſu Caroli
Calvi Francorum Regis editus auctorem habeat
Ratramnum, ſeu Bertramum, an vero Joannem
Scotum Erigenam eodem ſæculo nono vi-
ventem, ita ut Joannes Scotus Erigena, qui de
Euchariftia peſſime ſenſit, ſub adſcritto nomine
latere voluerit, magna noſtris temporibus Doctores
etiam inter Catholicos emerſit diſceptatio. Illuſtriſſimus Dominus Petrus De Marca Archi-
epiſcopus Pariſienſis in Epistoſa ad Lucam Da-
cherium Monachum Benedictinum Tomo ſecun-
do ejus *Spicilegii* præfixa libellum *Bertrami* nomi-
ne ab Hæreticis Proteſtantibus excuſum, & Ra-
tramno Corbejenſi Monacho a Sigeberto, & Tri-
themio tributum, illi adjudicat, eumque Joanni
Scoto Erigenæ vindicat; quam ſententiam Joannes
Harduinus Societatis Jeſu in libro de *Sacramento
Altaris*, & eruditus Canonorum Regularium Congregationis Sanctæ Ge-
novæ Theologus in Diſſertatione edita ad
calcem Tomi primi de *perpetua Eccleſiæ Fi-
de circa Euchariftiam*, novis conſtabiliſſerunt
conjeſuris, & documentis. Mabillonius ta-
men in Præſatione ad partem ſecundam ſæ-
culi quarti Benedictini, & Natalis Alexander
Diſſertatione XIII. in *Hiſtoriam ſæculi noni*,
& decimi, aliique plures hujus temporis Viri
eruditi aſſerunt, librum illum de *Corpore &
Sanguine Domini* vere Ratramni eſſe, ac nul-
lum errorem continere, ſed quaſdam dumtaxat
duriores & obſcuriores ſententias, quæ
expoſitione aliqua facile molliri, & in Catho-
licum ſenſum adduci poſſunt. Utraque horumce
Catholicorum Doctorum ſententia, circa au-
ctorem iſtius libri de *Corpore & Sanguine Do-
mini*, quamvis reſelli ſolide poſſit calumnia Hæ-
reticorum aſſerentium, Ratramnum, ſeu Bertra-
mum, in doctrina de reali præſentia Corporis,
& Sanguinis Chriſti in Euchariftia, necnon de
Tranſubſtantiatione a Paſchaſio Radberto nono
Eccleſiæ ſæculo reſeſſiſſe; nihilo ſecius, ut can-
dide fatear, mihi magis probatur opinio illo-
rum, qui docent, hunc librum de *Corpore &
Sanguine Domini* tribuendum non eſſe Ratramno,
ſeu Bertramo, ſed potius adjudicandum eſſe
Joanni Scoto Erigenæ, qui, ut mox dicemus inter
referendum Scriptores Anglos noni ſæculi,
peſſime ſenſit de Sacro-Sancta Euchariftia,
& Sacramentariorum hæreſim præformavit.
Huic itaque Joanni Scoto Erigenæ aſſeren-
dum

dum eſſe illum librum *De Corpore & Sanguine
Domini*, probant periti Critici multis momen-
tis. Primo, quia hic liber in *Indice Concilii
Tridentini* inter damnatos libros relatus eſt, &
a Clemente VIII. Pontifice Maximo omnino re-
pudiatus, quippe qui nulla poteſt juvari interpre-
tatione, & apertam Hæreſim docet, ut recte
monent *Sixtus Senenſis*, *Sanctæſus*, *Poſſevinus*,
Petrus de Marca, *Cardinalis Perronius*, plerique
alii. Secundo, quia ſtylus iſtius libri ſuum indi-
cat auctorem Joannem Scotum Erigenam: Ovum
ſiquidem non eſt ovo ſimilius, quam ſtylus hu-
juſce libri ſimilis eſt ſtylo libri de *Prædeſtinatione*,
quem a Joanne Scoto Erigena procuſum fuiſſe,
certiſſime conſtat. Denique, *Aſcelinus* Monachus
in Epistoſa ad Berengarium, & Berengarius ipſe
Hæreticus in Epistoſa ad Richardum, quæ ex-
tat apud Dacherium Tomo II. *Spicilegii*, aper-
te innunt, hunc librum de *Corpore & Sanguine
Domini* a Joanne Scoto Erigena fuiſſe lucubra-
tum. Hæc ſunt momenta, quibus hic liber Ra-
tramno adjudicatur, & Joanni Scoto Erigenæ
aſſeritur. Si tamen cum Mabillonio, & Natali
Alexandro prædictum librum Ratramno vindica-
re velis, non intercedam, dummodo cum do-
ctiſſimis illis viris dicas, Ratramnum in hocce
libro a Paſchaſii Radberti doctrina de reali
præſentia Corporis & Sanguinis Domini in Eu-
chariftia non reſeſſiſſe, ſed ſolum cum ipſo pu-
gnaſſe, quantum ad certum quemdam loquendi
modum, ſicut breviter expoſuimus in Colloquio
tertio in *Hiſtoriam* hujus ſæculi noni, & ube-
riorem veri ſenſus Ratramni expoſitionem inven-
ientes apud Mabillonium, & Natalem Alexan-
dram, qui difficilioreſ, & obſcurioreſ quaſdam
propoſitiones, quæ reperiuntur in iſto libro, &
Lectori aliquid negotii faceſſere poſſunt, liqui-
do explanant, & in ſenſum Catholicum benignis
adhibitis interpretationibus adducunt (a). Sed
miſſa illa Controverſia de auctore hujus libri de
Corpore & Sanguine Domini, ſatentur omnes ad
unum Critici, Ratramnum Monachum Corbe-
jenſem, qui Ludovico Pio, & Carolo Calvo re-
gnantibus nono ſæculo floruit, ſcripſiſſe libellum
de *Nativitate Chriſti*, qui Tomo I. Dacheriani
Spicilegii editus eſt. Quatuor libros etiam com-
poſuit Ratramnus *Reſponſionum ad Objeſta Græco-
rum*, qui Tomo ſecundo ejusdem *Spicilegii* ex-
tant. Libros inſuper duos de *Prædeſtinatione &
Gratia* edidit contra Gotheſcalcum, librum unum
de *Trina Deitate*, & librum de *Anima*. Sed hæ-
tenus ſatis de Scriptoribus Gallis, qui in Con-
troverſia nono Eccleſiæ ſæculo de Euchariftia in
Galliis excitata magnam ſuis lucubrationibus eru-
ditionis laudem promeriti ſunt.

„(a) Obtinet modo opinio aſſerens Ratramno
„opuſculum de *Corpore, & Sanguine Domini*,
„uti teſtantur authores doctiſſimi *Hiſtoriæ Li-
„terariæ Gallicanæ* Tom. V. eidemque vindic-
„cat authoritas Herigeri, qui ſæculo poſt Ra-
„tramnum poſteriori vivebat, ſicut & vetuſti
„Miſſ. Codices ante annos 800. vel 700. ſcripti,
„a Mabillonio conſulti. Immerito vero a Prote-
„ſtantibus tanquam opinionis ſuæ de Euchar-

„ſtia vindicis adduci, ex verbis ipſis Ratramni
„optime demonſtratum eſt ab eodem Ma-
„billonio, quem adeas in *Actis SS. Bene-
„dictinorum* Tom. VI. & *Annalium* Tom.
„IV.

D. Quinam ſunt celebrioreſ Scriptores Galli,
qui in altera Controverſia, quæ nono Eccleſiæ
ſæculo, occasione doctrinæ Gotheſcalci de *præde-
ſtinatione, de libero arbitrio, & de voluntate Dei
ſalvandi homines*, in Galliis ſuborta eſt, libros
conſcripſerunt?

M. Plures haud ignobileſ Scriptores huic ven-
tilandæ Controverſiæ calamo manum admove-
runt, quos inter adnumerantur Gotheſcalcus Au-
ctor iſtius Controverſiæ, Hincmarus Remenſis
Archiepiſcopus Gotheſcalci adverſarius inſenſiſſi-
mus, Amolo, & Remigius Lugdunenſes Ar-
chiepiſcopi, Florus Eccleſiæ Lugdunenſis Dia-
conus, Lupus Servatus Abbas Ferrarienſis, & Pru-
dentius Trecentis Episcopos, quorum Auctorum
noni ſæculi Opera de *Prædeſtinatione & Gratia*
Vir Clariffimus Gilbertus Mauguinus Tomo ſe-
cundo libri *Vindiciarum Prædeſtinationis & Gra-
tiæ* in lucem edidit, noſque eorumdem Scriptorum
Opera, aliaque ab ipſis edita, breviter hic indi-
cabitur.

In primis Gotheſcalcus, de cujus doctrina, vi-
ta & morte in præcedentibus Colloquiis multa
diximus, ſcripſit duas *Confeſſiones*, ſive doctrinæ
ſuæ expoſitiones, quarum una brevior, altera
multo prolixior eſt. Scripſit etiam Epistoſam ad
Ratramnum, obtulit Rabano Mauro Archiepi-
ſcopo Moguntino libellum de *Prædeſtinatione, &
contra Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum*
compoſuit librum de *Trina Deitate*. Doctrinam
Gotheſcalci de *prædeſtinatione, de libero arbitrio, &
de voluntate Dei ſalvandi homines* data opera
impugnavit Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus
ex nobili ortus Francorum familia, & Mona-
chum primo profeſſus in Monasterio Sancti Dionyſii
prope Pariſios. Edidit contra Gotheſcal-
cum tres libros de *Prædeſtinatione & libero arbi-
trio, & alterum Volumen de Prædeſtinatione*.
Scripſit etiam contra eundem, librum de *non
Trina Deitate*. Inſuper occasione divortii Lo-
tharii & Theutbergæ Reginæ librum compoſuit
Hincmarus, complures etiam Epistoſas, & ali-
quot Opuſcula, quæ omnia duos in Tomos diſ-
tributa, Jacobus Sirmondus Pariſiis, an. mdcxlv.
publica luce donavit, nullumque in iis eſſe ait,
quod utilitate ſua careat, & in quo præſtans
Authoris judicium cum ſcientiæ copia non elu-
ceat. Quinque alia ejusdem Hincmari Remen-
ſis Archiepiſcopi Opuſcula adhuc inedita, &
Hincmarum Laudunenſem Episcopum ipſius nepo-
tem ſpectantia una cum Concilio Duziacenſi
Pariſiis anno mdcxlviii. edidit, ſuiſque No-
tis illuſtravit Ludovicus Cellotius. Hincmari
Vitam ſcripſit Flodoardus libro tertio Remenſi-
um Episcoporum, a quo, ob Canonum peri-
tiam & Theologiæ ſcientiam plurimum commen-
datur. At multa, quæ Hincmarus Remenſis Ar-
chiepiſcopus non ſolum adverſus Gotheſcalcum
Monachum, ſed etiam contra nepotem ſuum
Hinc-